

Franckesche Stiftungen zu Halle

**'Ezry me-'am yhyh 'asah shamayim ve-erets Hoc Est,
Avxilivm A Domino, Qvi Celsa Palatia Caeli Atqve Globvm
Terrae Condidit, Omne Mevm, Qvod Ex Psalmo ...**

Freyer, Hieronymus

Halae Magdebvrgicae, [1739?]

VD18 12219142

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9)

צוֹרֵי מוֹעֵם יִזְכֶּה עֲשֵׂה שְׂמִים וְאֶרֶץ:

HOC EST,

AVXILIVM A DOMINO, QVI CELSA PALATIA CAELI
ATQVE GLOBVM TERRAE CONDIDIT,
OMNE MEVM.

QVOD

EX PSALMO CXXI

VIRO SVMME REVERENDO, MAGNIFICO ATQVE
EXCELLENTISSIMO,

ACADEMIAE FRIDERICIANAE ADHVC PRORECTORI,

**GOTTHILF AVGVSTO
FRANCKIO,**

S. THEOLOGIAE DOCTORI AC PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO,
ECCLESIAE DIOECESIOS PRIMAE SALANAE INSPECTORI, AD AEDEM B. V.
ECCLESIASTAE, PAEDAGOGII REGII ET ORPHANOTROPHEI
GLAVCHENSIS DIRECTORI,

DIE XII IVLII A. O. R. CIOIOCCXXXIX,

QVVM

MAGISTRATV FIDELITER AEQVE AC FELICITER GESTO
FASCES ACADEMICOS

ILLVSTRI, MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO
ACADEMIAE CANCELLARIO

ET NVNC ETIAM EIVSDEM VT SVA VICE QVARTVM SIC IN VNIVERSVM
PRORECTORI QVINQVAGESIMO,

IOANNI PETRO A LVDEWIG,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORVSSORVM INTIMO ET IN
REGIMINE ATQVE CONSISTORIO DVCATVS MAGDEBVRGICI CONSILIARIO,
AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS PRAESIDI, IVRIVMQVE AC HISTO-
RIARVM PROFESSORI PRIMARIO,

HEREDITARIO DOMINO IN BENDORF, PRAEZ ET GATTERSTAETT,

TRADIDISSET,

PVBLICO PAEDAGOGII REGII NOMINE

GRATVLAVNDVS ACCLAMAT

HIERONYMVS FREYER,

PAED. REG. INSPECTOR.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

LITTERIS IOAN. CHRIST. GRVNERTI, ACADEM. TYROGR.



ui DEVS excelsis per totum celsior orbem IES. LVII, 15.

Omnibus, ac summo plenus honore clues;

Aeternasque habitans sedes sanctissima cali

Iure potestatis perpete templa regis;

Nec tamen adflucti spernis magalia cordis

Rupta, nec emissas ore gemente preces:

ALME PATER, nostris indulge verba Camenis,

Quæ sint TER SANCTO NOMINE digna TVO;

Quæ numeris etiam, quos lex adstricta poetæ

Postulat, esse queant commoda verba suis.

Non iam vana loqui nunc est, non vendere fumos
Propositum nobis, blanditiasque sequi.

Nescit enim tales verax sapientia fraudes,

Nescit adulari mens inimica dolis.

TE potius, TE, AVGVSTE DEVS, sic ore canemus,

Vt dignum est hodie TE quoque corde coli.

Ad montes etenim sacros sua lumina serui

PSALM. CXXI. V. 1.

Circumquaque tui votaue sancta ferunt:

Et quia nil quidquam sine TE se posse fatentur,

Auxilium sperant haud aliunde suum.

Nec tamen inualido TE seruatore fruuntur,

V. 2.

Qui nequeat certam ferre benignus opem:

Omnipotens quum sis cælique solique creator,

Cuius ab imperio pendet et vnda maris.

TE vigilante pedes et TE custode tuorum

V. 3.

Ad gresum celeres non titubanter agunt.

O quam tuta tibi fuit hæc custodia semper,

V. 4.

Israel, DOMINO gens adamata suo!

En, videsis, quisnam sub tegmine nubis opacæ v. 5.
 Ad latus aut quis sit dexter in igne tibi:
 Spicula ne solis tempus violenta diurnum, v. 6.
 Nocturnumque nimis frigida luna grauent.
 Quid dubitas igitur? Certe seruabit ab omni
 Te porro DOMINI cura paterna malo;
 Immo, quod est summum, vitæque animæque salutem v. 7.
 Seruabit patria pro bonitate tibi:
 Vt sis principio felix, rebusque peractis; v. 8.
 Liber vt egrediens, ingrediensque metu;
 Donec arenosæ deserta per ardua terræ
 Ad Cananæa tibi prata venire datur.

Sic fuit immotam visum celebrare IEHOVAE,
 Sic etiam dignum est amplificare fidem.
 Nam qui temporibus fuerat qualisque vetustis,
 Talis nondum hodie desuit esse DEVS.
 Diligit et curat, tutatur et erigit omnes:
 Sint vbicumque velint, quos videt esse suos.
 Vidimus hoc in TE, quem ius FRIDRICIA vidit
 Ciuibus hoc anno dicere nostra suis.
 Vidimus, et taciti pro TE suscepimus vltro
 Vota; velut iustum, VIR VENERANDE, fuit:
 Vt DEVS ADIVTOR rerum pro munere tali
 Ipse gerendarum pergeret esse TIBI;
 AVGVSTVMque adeo, cui gloria competit omnis,
 Illustrare nouo nomen honore suum.

Audiit has nostras PATER OPTIMVS: audiit omnes
 Atque ratas habuit, tempore teste, preces.
 Audiit et reliquos, sua queis suspiria nostris
 Iungere communi nomine cura fuit.
 Immo TVIS quoties oculis cælum ipse petebas,
 Ad cæli DOMINVM supplice voce gemens:
 Hic TIBI consultor princeps, et in omnibus idem
 Promptus et altipotens auxiliator erat.
 Non opus ergo fuit peregrino iure, superbe
 Quo sibi Confucii gens oculata placet.

Si quid enim humanis dandum rationibus: ecquis
 Bysina spinosis non meliora putet?
 Siue sacratarum sit opus moderamine legum:
 Optima res nostras quæque statuta regunt.
 Adde, quod in duris adsunt (qui porro senescant)
 PRIMATES vsu consilioque VIRI:
 Et CONSCRIPTORVM facile quod totus in vnum
 Pro re concilium conuolat ORDO PATRVM.
 Consultant varie, quærunt, dubitantque, probantque:
 Fit quoque, vt iniiciant impediuntque moras.
 Publica sic retinent, et sic priuata quietem:
 Sic probitas tuta est, certaue poena malis.
 Immo IUVANTE DEO TIBI sic feliciter ipsum
 Exiit hoc regimen, DIGNE VIR, atque tuis.
 Laudamus DOMINVM, qui vires largiter omnes
 Mensura curis sufficiente dedit:
 Et simul incolumi semper saluoque, precamur,
 Hic honor vt veniat sic redeatque TIBI.
 Interea ILLVSTRIDUM sceptrum academica tradis
 Laudibus ingenii promeritisque SENI:
 Hoc etiam læti multum gratamur VTRIQUE
 Nomine, cum plausu voce manuque dato.
 Nam quos HIC hodie semestres accipit abs TE
 Fasces, posteaquam REX breuiavit onus:
 Ante duo et viginti annos accepit in annum,
 ANNO MDCCCXVII.
 Dante PATRE et quæuis fausta precante TVO.
 Magna DEI bonitas, iterum hæc si summa daretur
 ILLIVS meritis ac TIBI dupla, foret.
 Sic *tunc* ILLE quidem prope centenarius esset,
 Et *nunc* dimidia est vita peracta TIBI.

Fac, PATER OMNIPOTENS, vt vis et cernis VTRIQUE
 Esse bonum: quoniam TV bona cuncta facis.
 Serua etiam REGEM cum REGNO et PRINCIPE REGNI,
 AVGVSTAMque iube porro virere DOMVM:
 Vt florentibus his etiam FRIDRICIA pulchre
 Floreat, et vires sentiat vsque novas.

* * * * *

199 A 24 30 49
SIC IGITUR, PRIMUM QUVM PRIMVS (a) ET VLTIMVS (b) ANNVS
CONFICIUNT SVMMAS ADDITIONE PARES:

(a) 1694.

(b) 1739.

IOANNES PETRVS A LVDEVVIG
PRORECTOR QVINQVAGESIMVS
EST HALAE

ANNO CIO IDCC XXXIX

DIE XII IVLII,

QVI ACADEMIAE FRIDERICIANAE
NATALIS XLVI EST.

ERGO PARANS HODIE BONA DIC, FRIDRICIA,
VERBA:

QVAE BONA SINT VERE VERBA TIBI
ATQVE TVIS.

CONSPECTVS PRORECTORVM MAGNIFICORVM ACADEMIAE
FRIDERICIANAE A NATALIBVS EIVS VSQVE AD ANNVM
CIO IDCC XXXIX.

Die I Iulii Magistratum Academiae annum inierunt

- | | |
|---|---|
| 1. Ioannes Guilielmus Baierus, Theologus, a. 1694. | 4. Christophorus Cellarius, Prof. eloquentiae et antiquitatum, a. 1697. |
| 2. Samuel Strykius, Ictus et Academiae Director, a. 1695. | 5. Ioachimus Iustus Breithaupt, Theologus, a. 1698. |
| 3. Fridericus Hoffmannus, Medicus, a. 1696. | 6. Henricus Bodinus, Ictus, a. 1699. |

Die

Die XII Iulii Magistratum Academiae annum inierant

7. Georgius Ernestus Stahlius, Medicus, a. 1700.
8. Ioannes Franciscus Buddeus, Philosophus, a. 1701.
9. Paulus Antonius, Theologus, a. 1702.
10. Ioannes Samuel Strykius, ICTus, a. 1703.
11. Ioannes Sperlette, Philosophus, a. 1704.
12. Ioannes Petrus Ludewig, ICTus, a. 1705.
13. Fridericus Hoffmannus, Medicus, *iterum* a. 1706.
14. Ioachimus Iustus Breithaupt, Theologus, *iterum* a. 1707.
15. Christianus Thomafius, ICTus, a. 1708.
16. Henricus Bodinus, ICTus, *iterum* a. 1709.
17. Georgius Ernestus Stahlius, Medicus, *iterum* a. 1710.
18. Ioannes Samuel Strykius, ICTus, *iterum* a. 1711.
19. Ioannes Henricus Michaelis, Prof. Theol. et Ling. Orient. a. 1712.
20. Paulus Antonius, Theologus, *iterum* a. 1713.
21. Ioannes Sperlette, Philosophus, *iterum* a. 1714.
22. Ioannes Fridemannus Schneiderus, Philosophus, a. 1715.
23. Augustus Hermannus Franckius, Theologus, a. 1716.
24. Ioannes Petrus Ludewig, ICTus, *iterum* a. 1717.
25. Fridericus Hoffmannus, Medicus, *tertium* a. 1718.
26. Nicolaus Hieronymus Gundlingius, ICTus, a. 1719.
27. Christianus Wolfius, Philosophus, a. 1720.
28. Ioachimus Langius, Theologus, a. 1721.
29. Iustus Henningius Böhmerus, ICTus, a. 1722.
30. Ioannes Henricus Michaelis, Theologus, *iterum* a. 1723.
31. Christianus Benedictus Michaelis, Philosophus, a. 1724.
32. Ioannes Fridemannus Schneiderus, Philosophus, *iterum* a. 1725.
33. Michael Alberti, Medicus, a. 1726.
34. Ioannes Petrus a Ludewig, ICTus et Academiae Cancellarius, *tertium* a. 1727.
35. Fridericus Hoffmannus, Medicus, *quartum* a. 1728.
36. Nicolaus Hieronymus Gundlingius, ICTus, *iterum* a. 1729: et hoc d. 9 Dec. mortuo vicarie suffecti VIRI ILLUSTRES, Fridericus Hoffmannus et Ioannes Petrus a Ludewig.
37. Ioachimus Langius, Theologus, *iterum* a. 1730.
38. Simon Petrus Gasferus, ICTus, a. 1731.
39. Iustus Henningius Böhmerus, ICTus et Academiae Director, *iterum* a. 1732.
40. Ioannes Henricus Michaelis, Theologus, *tertium* a. 1733.
41. Ioannes Gottlieb Heineccius, ICTus, a. 1734.

Magistratum Academiae semestrem inierunt

42. Ioannes Ioachimus Langius, Philosophus, d. 12 Iulii 1735.
43. Iacobus Gabriel Wolfius, ICTus, d. 12 Ianuarii 1736.
44. Christianus Benedictus Michaelis, Theologus, *iterum* d. 12 Iul. 1736.
45. Carolus Gottlieb Knorrius, ICTus, d. 12 Ian. 1737.
46. Michael Alberti, Medicus, *iterum* d. 12 Iul. 1737.
47. Ioannes Gerardus Schlittius, ICTus, d. 12 Ian. 1738.
48. Ioannes Samuel Fridericus Böhmerus, ICTus, d. 12 Iul. 1738.
49. Gotthilf Augustus Franckius, Theologus, d. 12 Ian. 1739.
50. Ioannes Petrus a Ludewig, *quartum* et, faxit Deus, feliciter d. 12 Iul. 1739.

Iubilis est numerus, quamvis non iubilus annus:

Nam modo post quintum iubilus annus erit.

O DEVS, adiutor nostris qui huc usque fuisti,

Fer validam rebus porro potenter opem.

* * *